

11

denunciat. Imò quasi sacrilegii ultor esset, omnes milites laureis cingi iussit, atque ita veluti DEO Duce in prælium venit. Hanc occasionem religionem vindicandi neque eventus infelix elusit: nam Phocenses laurum insigne Apollinis conspicientes, conscientia delictorum territi, fugiendo terga obverterunt, poenasque violatæ religionis sanguine & cædibus suis pependerunt, Philippus autem hoc modo eorum Dominus factus est. *Incredibile, quantam ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit*, inquit Justinus Lib. 8. cap. 2. Cum ergo Philippus sub specie religionis cum maximâ gloria & commodo hoc bellum finiret, alii hoc exemplo edocti hanc oblatam occasionem avidis manibus arripuerunt, de quibus recentiores politici testantur: hodiernis etiam temporibus Philippi sequaces & sub pallio vindicandæ religionis cubantes passim inveniuntur Principes, qui sub hoc tegmine religiosi prætextus latitare solent. Uti enim nunquam mundo defuturi sunt belli avidi & aliorum regionibus inhiantes; ita nunquam occasionem defendendi oppressam religionem suo proposito aptam prætervolare patientur. Quid vero ab his expectari posset aliud, quam urbium & regionum abalienationes?

§. XII.

Neque etiam desunt veri religionis suæ zelotes, qui religionem non pro umbra sub qua avidum belligerandi ingenium abscondere possint, habent, sed eam devotè exosculantur, tanquam omnis boni civilis fœcundam scaturiginem; hinc ne illa lapidibus aliunde obruatur, & ut limpida ubivis fluat avent. Hinc cum advertunt illam premi, obstrui & opprimi, arma capiunt ad defensionem & pro ejus incolumitate fervida bella ex sincero indicta animo, aggrediuntur. Unde enim illud diuturnum & satis funestum in Germania bellum? Certè exinde quia Dux Fridlandiæ & Comes Tilli subditos diversarum religionum non Apostolicè sed Pistolicè convertere studebant, ut loquitur Juniperus de Ancona in consult. p. 33. Hinc tot urbium desolationes, direptiones subditorum, exturbationes & integrarum regionum ab Imperio abreptiones. Plerumque ergo Princeps vi & armis unitatem religionis obtinere intendens habebit certissimum hostem, qui vel est putativus vel verus religionis suæ Zelotes, à quo ditionum suarum diminutiones, divastationes & contrariarum religionum introductiones expectabit: Adeoque cum suo damno experietur, neque sic religionem cogi posse.

B 2

§. XIII.